



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

§. 2. Principium 2. Non inest actui moralitas, si desit voluntati libertas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

Unde in eundem sensum alii dixerunt: *Ignoti nulla cupido*
& *Quod quis non novit, hoc non dolet.*

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui peccatum in se gravissimum committit, formaliter non contrahere malitiam, si nesciverit, actum à se elicitem esse peccaminosum, uti communiter docet Theologorum sententia.

Deducitur 2. Eum, qui credit, actionem aliquam sub veniali duntaxat peccato esse prohibitam, non contrahere malitiam, quàm venialem malitiam, licet alioqui actio illa mortaliter sit peccaminosa, uti iterum, unanimiter docent Theologi.

Deducitur 3. Eum, qui percussit Clericum, putans se Licentium verberare, non incurrere Excommunicationem in Percussores Clericorum latam, uti ex cap. Si verò 4, de Sententia Excomm, colligitur.

§. II.

PRINCIPIUM II.

Non inest Actui Moralitas, si desit voluntati Libertas.

Sensus.

Hoc est, non censetur quis bene vel malè egisse, atque ad laudem vel vituperio dignus, si debita ad operandum Libertate careat, seu, quod idem est, non præcedat indifferens cogitatio, quæ voluntatem expeditam relinquat ad agendum vel non agendum, vel ad agendum saltem contrarium.

Authoritas.

Desumptum est ex ipsa S. Scriptura Eccl. 31. Beatum David laudabilem dicente eum, qui potuit transgredi, & non transgressus: facere mala & non fecit. Et confirmatur unanimiter à Theologis & Philosophis.

Ratio.

Quia qui ad unum determinatus est, agitur potius, quam agit.

igitur, atque adeo tam parum laude vel vituperio dignus censeri potest, quam parum laudabilem dicimus lapidem, si ad centrum feratur; vel è contrario vituperabilem censemus, si contra naturalem inclinationem sursum proijciatur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Etsi Dæmon nonnunquam ad turpissima objecta animo volvenda Hominem impellat, neutiquam tamen hunc peccare, si voluntariè illis non inhæreat; quia non nocet sensus, si desit consensus, ut cum S. Bernardo communi ter docent SS. Patres.

Deducitur 2. Eum, qui ad opus aliquod faciendum obligatus, nullam ex sua parte negligentiam committit, sed contra voluntatem suam ab obligatione tali implenda impediri non debere ob talem omissionem, culpæ aut pœnæ obnoxium censeri; nam, uti in l. 6. de cr. c. ult. reg. 41. dicitur, non debet imputari ei, per quem non stat, si non faciat, quod contra eam fuerat faciendum.

Deducitur 3. Non esse peccatum, si cui in subita apprehensione objecti turpis ante rationis animadversionem excipitur appetitus commoveatur, talis enim motus cum primo non sit ob libertatis defectum culpa caret, uti docet communis Sanchez. l. 1. c. 1. n. 19.

§. III.

PRINCIPIUM III.

Nihil consensui tam contrarium est, quam vis & metus.

Sensus.

Hoc est, quando cunque violentia infertur, aut metus gravis extrinsecus (nam intrinsecus ex causis naturalibus proveniens non obstat) cadens in constantem Virum (qualis est metus mortis, Carceris diuturni, amissionis magnæ partium bonorum, gravis indignationis, aut infamiæ) alicui inlicitum ad consensum illius in materia de se non illicita, ad contractus humanos, pacta ac vota pertinente extorquendum;